

Alte Drucke

**P. VIRGILII || MARONIS OPERA IN-||DVBITATA, || BVCOLICON,
|| GEORGICON, || ÆNEIS. || QVIBVS ACCESSERVNT ET || ALIA
QVAEDAM LECTIONI || & studio ...**

Vergilius Maro, Publius

Lipsiae, 1590

VD16 ZV 30860

Liber secundus.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149950

P. VIRGILII MA-
RONIS AENEIDOS

Liber secundus.



Conticuere omnes, intentiq;
ora tenebant:

Inde toro pater Aeneas sic
orsus ab alto:

Infandum regina iubes re-
nouare dolorem,

Troianas vt opes, & lamen-
tabile regnum

Eruerint Danai: quæq; ipse miserrima vidi,

Et quorum pars magna fui. Quis talia fando

Myrmidonum, Dolopumue, aut duri miles Ulysi,

Temperet à lacrymis? & iam nox humida caelo

Precipitat, suadentq; cadentia sidera somnos.

Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,

Et breuiter Troia supremum audire laborem:

(Quamquam animus meminisse horret, luctug; re-

Incipiam. Fracti bello, fatigq; repulsi (fugit)

Ductores Danaum, tot iam labentibus annis,

Instar montis equum, diuina Palladis arte

Aedificant, sectaq; intexunt abiete costas.

Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.

Hæc delecta virum sortiti corpora surtim

↓

Inclu-

Includunt caco lateri: penitusq; cauernas
 Ingentes, vterumq; armato milite complent.
 Est in conspectu Tenedos, notissima fama
 Insula, diues opum, Priami dum regna manebant.
 Nunc tantum sinus, & statio male fida carinis.
 Huc se prouecti deserto in litore condunt.
 Nos abisse rati, & vento petisse Mycenae.
 Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu:
 Panduntur portae: inuat ire, & Dorica castra;
 Desertosq; videre locos, litusq; relictum.
 Hic Dolopum manus, hic saeuus tendebat Achilles;
 Classibus hic locus, hic acies certare solebant.
 Pars stupet innupta donum exitiale Minerva,
 Et molem mirantur equi: primusq; Thymocles
 Duci intra muros hortatur, & arce locari:
 Sive dolo, seu iam Troiae sic fata ferebant.
 At Capys, & quorum melior sententia menti;
 Aut pelago Danaum insidias, suspectaq; dona
 Precipitare iubent, subiectusq; vrere flammis:
 Aut terebrare cauas vreri, & tentare latebras.
 SCINDITVR incertū studia in cōtraria vulgus:
 Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva;
 Laocoon ardens, summa decurrit ab arce:
 Et procul: O miseri, quae tanta insania, ciues?
 Creditis auctos hostes? aut vlla putatis
 Dona carere dolo Danaum? sic notus Pylles?
 Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi:
 Aut haec in nostros fabricata est machina muros;
 Inspectura domos, venturaq; desuper vrbi:

Aut

Aut aliquis latet error. Equo ne credite Teucri.
 Quicquid id est, timeo Danaos, & dona ferentes.
 Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
 In latus, inq; feri curuam compagibus aluum
 Contorsit. stetit illa tremens: viroq; recusso
 Insonuere caua, gemitumq; dedere cauerna.
 Et, si fata Deum, si mens non leua fuisset,
 Impulerat ferro Argolicas sedare latebras,
 Troiaq; nunc stares, Priamq; arx alta maneres.
 Ecce, manus iuuenem interea post terga reuinctum,
 Pastores, magno ad regem clamore, traherant
 Dardanida: qui se ignotum venientibus vltro,
 Hoc ipsum ut strueret, Troiamq; aperiret Achivis,
 Obrulerat: fidens animi, atq; in vtramq; paratus,
 Seu versare dolos, seu certa occumbere morti.
 Vndiq; videndi studio Troiana iuuentus
 Circumfusa ruit, certatq; illudere capto: *illud te tibi*
 Accipe nunc Danaum insidias: & crimine ab vno *vel inte ubi per*
 Disce omnes.
 Namq; ut conspectu in medio turbatus, inermis
 Constitit, atq; oculus Phrygia agmina circumspexit:
 Heu qua nunc tellus, inquit, qua me aquora possunt
 Accipere? aut quid iam misero mihi deniq; restat?
 Cui neq; apud Danaos vsquam locus: insuper ipsi
 Dardanida insensu pœnas cum sanguine poscunt.
 Quo gemitu conuersi animis, compressus & omnis
 Impetus, hortamur sari, quo sanguine cretus,
 Quidne ferat, memoret: qua sit fiducia capto.
 Illa hæc, deposita tandem formidine, fatur:

Cuncta equidem tibi Rex, fuerit quodcumq; fatebor
 Vera, inquit: neq; me Argolica de gente negabo.
 Hoc primum. nec, si miserum fortuna Sinonem
 Finxit, vanum etiam, mendacemq; improba finget.
 Fando aliquid, si forte tuas peruenit ad aures
 Belidae nomen Palamedis, & inclyta fama
 Gloria: (quem falsa sub prodicione Pelasgi
 Infoutem, infando indicio, quia bella vetabat,
 Demisere neci: nunc cassum lumine lugent)
 Illi me comitem, & consanguinitate propinquum
 Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
 Dum stabat regno incolumis, regnumq; vigeat
 Consilij: & nos aliquod nomenq; decusq;
 Gessimus. inuidia postquam pellaci Vlysi
 (Haud ignota loquor) superis concessit ab oris:
 Afflictus vitam in tenebris luctusq; trahebam,
 Et casum infantis mecum indignabar amici.
 Nec tacui demens: & me, fors si qua tulisset,
 Si patrios vnquam remissem, victor ad Argos,
 Promisi ultorem, & verbis odia aspera moui.
 Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Vlysses
 Criminibus terrere nouis: hinc spargere voces
 In vulgum ambiguas, & querere conscius arma.
 Nec requieuit enim, donec Calchante ministro.
 Sed quid ego hac autē nequicquā ingrata reuoluor
 Quidue moror? si omnes vno ordine habetis Achi-
 Idq; audire sat est: iamdudum sumite paenas. (uos:
 Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atride.
 Tum verò ardemus scitari, & querere causas,

IGNA-

Ignari scelerum tantorum, artisq; Pelasgæ.
Prosequitur pauitans, & ficto pectore fatur:
Sæpe fugam Danaï Troia cupiere relicta
Moliri, & longo seſſi diſcedere bello:
(Feciſſentq; vtinam) ſæpe illos aſpera ponti
Intercluſit hyems, & terruit Auſter euntes.
Præcipue, cum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equis, toto ſonuerunt æthere nymbi.
Spenſi Eurpylum ſcitatum oracula Phæbi
Mittimus: iſq; adytis hæc triſtia dicta reportat.
Sanguine placatis ventos, & virgine ceaſa,
Cum primum Iliacas Danaï veniſti ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaq; litandum
Argolica. Vulgi quæ vox vt venit ad aures,
Obſtupere animi, gelidusq; per ima cucurrit
Oſſa tremor, cui fata parent, quem poſcat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ ſint ea numina diuinum,
Flagitat. & mihi iam multi crudele caneant
Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.
Bis quinos ſilet ille dies: reſtuſq; recuſat
Prodere voce ſua quenquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus
Compoſito rumpit vocem, & me deſtinat aræ.
Aſſenſere omnes: & quæ ſibi quiſq; timebat,
Vnius in miſeri exitium conuerſa tulere.
Iamq; dies infanda aderat. mihi ſacræ parari,
Et ſæſæ fruges, & circum tempora vittæ.
Eripui (ſateor) letho me, & vincula rupi:

Limosq; lacu per noctem obscurus in vltus
 Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.
 Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi,
 Nec dulcis natos, exoptatumq; parentem:
 Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
 Effugia, & culpam hanc miserorum morte piabunt.
 Quod te, per superos, & conscia numina veri,
 Per, si qua est, qua restat adhuc mortalibus vsquam
 Intemerata fides, oro: misere laborum
 Tantorum, misere animi non digna ferentis.
 His lacrymis vitam damus, & misere scimus vltro.
 Ipse viro primus manicas, atq; arcta leuari
 Vincula iubet Priamus, dictuq; ita satur amicus:
 Quisquis es (amissos hinc iam obliuiscere Graios)
 Noster eris: mihiq; hæc ediffere vera roganti:
 Quomolē hanc immanis equi statuere? quis auctor?
 Quidhæc petunt? qua religio? aut qua machina belli?
 Dixerat, ille, dolis instructus, & arte Pelasga,
 Sustulit excitas vinculis ad sidera palmas.
 Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
 Testor munus, ait: vos ara, ensesq; nefandi,
 Quos fugi: vntaq; deum, quas hostia gesti:
 Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura,
 Fas odisse viros, atq; omnia ferre sub auras,
 Si qua regunt: teneor patria nec legibus vllis.
 Tu modo promissus maneat, seruataq; serues
 Troia fidem: si vera feram, si magna rependam.
 Omnis spes Danaum, & cœpti fiducia belli,
 Palladus auxilijs semper stetit: impius ex quo

Tydides

Tydides sed enim scelerumq; inuentor Vlyſſes,
 Fatale aggreſſi ſacrato auellere templo
 Palladium, caſis ſumma cuſtodibus arcis,
 Corripuere ſacram effigiem, manibusq; cruentis
 Virgineas auſi diuæ contingere vittas:
 Ex illo fluere, ac retrò ſublapſa referri
 Spes Danaum: fractæ vires, auerſa dea mens.
 Nec dubijs ea ſigna dedit Tritonia monſtris.
 Vix poſitum caſtris ſimulacrum: arſere coruſca
 Luminibus flamma arrectus: ſaluſq; per artus
 Sudor h̄i: terq; ipſa ſolo (mirabile dictu)
 Emicuit, parmamq; ſerens, baſtamq; trementem.
 Extemplo tentanda fuga canit aquora Calchas:
 Nec poſſe Argolicis excindi Pergama telis,
 Omnia ni repetant Argus, numenq; reducant,
 Quod pelago & curuis ſecum aduexere carinis.
 Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenæ,
 Arma deosq; parant comites: pelagoq; remenſo
 Improviſi aderunt: ita digerit omnia Calchas.
 Hanc pro Palladio moniti, pro numiſe leſo
 Effigiem ſtatuere, neſas qua triſte parer.
 Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
 Roboribus textis, cælog; educere inſit,
 Ne recipi portis, aut duci in moenia poſſit,
 Neu populum antiqua ſub religione tueri.
 Nam ſi veſtra manus violaret dona Minerva,
 Tum magnū exitium (quod dij prius omen in ipſū
 Conuertant) Priami imperio, Phrygibusq; futurum:
 Sin manibus veſtris veſtram aſcendiſſet in urbem,

Vltro Asiam magno Pelopeia ad maria bello
 Venturam, & nostros ea fata manere nepotes.
 Talibus insidijs, periurijq; arte Sinonis
 Credita res: captiq; dolo, lacrymisq; coactis,
 Quos neq; Tydides, nec Larissaeus Achilles,
 Non anni domuere decem, non mille carinae.
 Hic aliud maius miseris, multoq; tremendum
 Obijcitur magis, atq; improuida pectora turbat.
 Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
 Solennes taurum ingentem mactabat ad aras.
 Ecce autem, gemini à Tenedo tranquilla per alta
 (Horresco referens) immensis orbibus angues
 Incumbunt pelago, pariterq; ad littora tendunt:
 Pectora quorum inter fluctus arrecta, inbaq;
 Sanguinea exuperant undas: pars cetera pontum
 Pone legit, sinuatq; immensa volumine terga.
 Fit sonitus, spumante salo: iamq; arua tenebant,
 Ardenteisq; oculos suffecti sanguine & igni,
 Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
 Diffugimus visu exangues: illi agmine certo
 Laocoonta petunt: & primum parua duorum
 Corpora natorum serpens amplexus vterq;
 Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
 Post ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem
 Corripiunt, spirisq; ligant ingentibus: & iam
 Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
 Terga dati, superant capite, & ceruicibus altis.
 Ille simul manibus tendit diuellere nodos,
 Perfusus sanie vittas, atroq; veneno:

Clanores simul horrendos ad sidera tollit.
Quales mugitus, fugit cum saucius aras
Taurus, & incertam excussit ceruice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, seuq; petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibusq; dea, clypeiq; sub orbe teguntur.
Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor, & scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Laeserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaq; diua
Numina, conclamant.
Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbi.
Accingunt omnes operi: pedibusq; rotarum
Subiiciunt lapsus, & stuppea vincula collo
Intendant, scandit fatalis machina muros,
Fœta armis, circum pueri, innuptaq; puella
Sacra canunt, funemq; manu contingere gaudent.
Illa subit, mediq; minans illabitur vrbi.
O patria, ô diuûm domus Ilium, & inclita bello
Mœnia Dardanidûm. quater ipso in limine porta
Substitit, atq; vtero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores, cæciq; furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei iussu, non vñquam credita Teucris.
Nos delubra deûm miseri, quibus vltimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox,

Inuoluens umbra magna terramq; polumq;
 Myrmidonumq; dolos: fusi per mœnia Teucri
 Contricuere: sopor fessos complectitur artus.
 Et iam Argiua phalanx instructis nauibus ibat
 A Tenedo, tacita per amica silentia Luna,
 Littora nota petens: flammis cum regia puppi
 Exulêrat: fatigq; deum defensus iniquus,
 Inclusos vtero Danaos, & pinea furtim
 Laxat claustra Sinon. illos patefactus ad auras
 Reddit equus, letiq; cauo se robore premunt,
 Tifandrus Sthenelusq; duces, & dirus Vlysses,
 Demissum lapsi per funem, Athamasq;, Thoasq;
 Pelidesq; Neoptolemus, primusq; Machaon,
 Et Menelaus, & ipse doli fabricator Epew.
 Inuadunt urbem somno vinoq; sepulcra.
 Caduntur vigiles: portiq; patentibus omneia
 Accipiunt socios, atq; agmina conscia iungunt.
 Tempus erat, quo prima quies mortalibus egria
 Incipit, & dono diuûm gratissima serpit:
 In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
 Visus adesse mihi, largosq; effundere fletus,
 Raptatus bigis, ut quondam, aterq; cruento
 Puluere, perq; pedes traiectos lora tumentes.
 Heu mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
 Hectore, qui redit exuuias indutus Achilli,
 Vel Danaûm Phrygios iaculatus puppibus ignes!
 Squalentem barbam, & concretos sanguine crines,
 Vulneraq; illa gerens, qua circum plurima muros
 Accepit patrios, vltro flens ipse videbar

Compel-

Compellare virum, & mœstas expromere voces :
O lux Dardania, spes ô fidissima Teucrum,
Que tanta tenuere mora ? quibus Hector ab oris
Expectate venis ? vi te, post multa tuorum
Funera, post varios hominumq; vrbug; labores
Defesti aspicimus ! quæ caussa indigna serenos
Fœdauit vultus ? aut cur hæc vulnera cerno ?
Ille nihil : nec, me querentem vana, moratur :
Sed grauitus gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge nate dea, teq; his (ait) eripe flammis.
Hostis habet muros : ruit alto à culmine Troia.
Sat patria, Priamog; datum, si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra, suosq; tibi commendat Troia penates :
Hos cape fatorum comites : his mœnia quare
Magna, pererrato statues quæ deniq; ponto.
Sic ait, & manibus vittas, Vestamq; potentem,
Aeternumq; adytis effert penetrabilis ignem.
Diuerso interea miscentur mœnia luctu :
Et magis atq; magis (quanquam secreta parentis
Anchisa domus, arboribusq; oblecta recessit :)
Clarescunt sonitus, armorumq; ingruit horror.
Excutor somno, & summi fastigia tecti
Ascensu supero, atq; arrectis auribus asfo.
In segetem veluti cum flamma furentibus Austris
Incidit : aut rapidus montano flumine torrens,
Sternit agros, sternit sata lata, boumq; labores,
Præcipitesq; trahit syluæ : stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Tuba

Tum verò manifesta fides, Danaumq; pateſcunt
 Infidia. iam Deiphobi dedit ampla ruinam
 Vulcano ſuperante domus: iam proximus ardet
 Vcalegon: Sigæa igni freta lata relucet.
 Exoritur clamorq; virum, clangorq; tubarum.
 Arma amens capio, nec ſat rationis in armis:
 Sed glomerare manu bello, & concurrere in arcem
 Cum ſocijs ardent animi: furor iraq; mentem
 Precipitant: pulcrumq; mori ſuccurrit in armis.
 Ecce autem, telis Panthus elapſus Achiuum,
 Panthus Otriades, arcis Phæbiq; ſacerdos,
 Sacra manu, victoſq; deos, paruumq; nepotem
 Ipſe trahit, curſuq; amens ad littora tendit.
 Quo res ſumma loco, Panthu? quã prendimus arcem
 Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
 Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus
 Dardania: ſummus Troës fuit illum, & ingens
 Gloria Teucrorum: ſerus omnia Iuppiter Argos
 Tranſtulit: incenſa Danai dominantur in vrbe.
 Arduus armatos medijs in mœnibus aſtans
 Fundit equus: victorq; Sinon incendia miſcet
 Inſultans: portis alij bipatentibus aſſunt,
 Millia quot magnis nunquam venêre Mycenis.
 Obſedêre alij telis anguſta viarum
 Oppoſiti. ſtat ferri acies mucrone coruſco
 Stricta, parata neci: vix primi pralia tentant
 Portarum vigiles, & cæco Marte reſiſtunt.
 Talibus Otriade dictis, & numine diuûm
 Inflammas & in arma feror: quod triſtis Erinyas,

Quò fremitus vocat, & sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios Ripheus, & maximus annis
Iphitus, oblatis per Lunam, Hypanisq; Dymasq;
Et lateri agglomerant nostro: iuuenusq; Choraebus
Mygdonides, illi qui ad Troiam fortè diebus
Venerat, insano Cassandra incensus amore:
Et gener auxilium Priamo, Phrygibusq; ferebat:
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat.

Quos ubi confertos audere in prælia vidi,
Incipio super his: Iuuenes, fortissima frustra
Pectora, (si vobis audentem extrema, cupido
Certa sequi: quæ sit rebus fortuna, videtis:
Excessere omnes, adytis arisq; relictis,
Dij, quibus imperium hoc steterat) succurritis vrbi
Incensa: moriamur, & in media arma ruamus.

VNA SALVS victis, nullam sperare salutem.
Sic animis iuuenum furor additus. inde (lupi ceu
Raptores, atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cacos rabies, catuliq; relictis
Faucibus expectant siccis) per tela, per hostes
Vadimus, haud dubiam in mortē, mediāq; tenemus
Vrbis iter. nox atra caua circumuolat umbra.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut possit lacrymis aquare labores?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perq; vias sternuntur inertia passim
Corpora, perq; domos, & relligiosa deorum
Limina. nec soli pœnas dant sanguine Teucris:

Quondam

QVONDAM etiam victis redit in prœcordia vitæ
 Victoresq; cadunt Danaï. crudelis vbiq; (tu)
 Luctus, vbiq; pavor, & plurima mortis imago.
 Primus se Danaū, magna comitante caterua,
 Androgeos offert nobis, socia agmina credens
 Inscius: atq; vltro verba compellat amicis:
 Festinate viri. nam quæ tam fera moratur
 Segnicies? alij rapiunt incensa, feruntq;
 Pergama: vos celsis nunc primum à navibus itis.
 Dixit, & extemplo (neq; enim responsa dabamur
 Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.
 Obstupuit, retroq; pedem cum voce represit:
 Improvisum aspris veluti quis sentibus anguem
 Pressit humi nitens, trepidusq; repente refugit,
 Attollentem iras, & cœrula colla tumentem.
 Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
 Irruimus, densis & circumfundimur armis:
 Ignarosq; loci passim, & formidine captos
 Sternimus: aspirat primo fortuna labori.
 Atq; hic exultans successu animusq; Choræbus:
 O socij, quæ prima, inquit, fortuna salutis
 Monstrat iter, quaq; ostendit se dextra, sequamur.
 Mutemus clypeos, Danaūmq; insignia nobis
 Aptemus. dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
 Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
 Androgei galeam, clypeiq; insigne decorum
 Induitur: lateriq; Argivum accommodat ensent.
 Hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisq; iuventus
 Lata facit: spolijs se quisq; recentibus armat.

Vadimus

Vadimus immissi Danais, baud numine nostro:
Multaq; per cacam congressi praelia noctem
Conserimus: multos Danaum demittimus Orco.
Disfugiunt alij ad naueis, & littora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, & nota conduntur in alio.
HEU NIHIL inuitis fas quenquam fidere diuis.
Ecce, trahebatur passus Priameia virgo
Crimbus a templo Cassandra, adytq; Mineræ,
Ad cælum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furcata mente Choraebus,
Et sese medium inieci moriturus in agmen.
Consequimur cuncti, & densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur: oriturq; miserrima cades;
Armorum facie, & Graiarum errore inbarum.
Tum Danaï gemitu, atq; erepta virginis ira,
Vndiq; collecti inuadunt: acerrimus Ajax,
Et gemini Atrida, Dolopumq; exercitus omnis.
Aduersi rupto cœu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyruq;, Notusq;, & latus Eoë
Eurus equis: stridunt syluæ, saeuq; tridenti
Spumeus, atq; imò Nereus ciet aquora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus insidijs, totaq; agitauimus vrbe,
Apparent: primi clypeos mentitaq; tela
Agnoscent; atq; ora sono discordia signant:
Iacet obruimur numero. primuq; Choraebus

Peneles

Penelei dextra diua armipotentis ad aram
 Procumbit: cadit & Ripheus, iustissimus vnus
 Qui fuit in Teucris, & seruantissimus equi.
 Dijs aliter visum, pereunt Hypanisq; Dymasq;
 Confixi à socijs: nec te tua plurima Panthu
 Labentem pietas, nec Apollinis insula texit.
 Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
 Testor, in occasu vestro, nec tela, nec vllas
 Vitauisse vices Danaum: & si fata fuissent
 Vt caderem, meruisse manu diuelli mur inde,
 Iphitus & Pelias mecum: quorum Iphitus euo
 Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vlysi.
 Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
 Hic verò ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
 Bella forent, nulli tota morentur in vrbe:
 Sic Martem indomitum, Danaosq; ad tecta ruentem
 Cernimus, obsessumq; acta testudine limen.
 Herent parietibus scale: postesq; sub ipsos
 Nituntur gradibus: clypeosq; ad tela sinistris
 Protecti obijciunt, prensant vestigia dextris.
 Dardanida contra, turres ac tecta domorum
 Culmina conuellunt (his se, quando vltima cernunt,
 Extrema iam in morte, parant defendere telis)
 Auratasq; trabes, veterum decora alta parentum,
 Deuoluunt. alij strictis mucronibus imas
 Obsedè fores: has seruant agmine denso.
 Instaurati animi, regis succurrere tectis,
 Auxilioq; leuare viros, vimq; addere victis.
 Limen erat, cecaq; fores, & peruius vsus

Tectorum

Tectorum inter se Priami, postesque relictī
A tergo : infelix quā se, dum regna manebant,
Sapius Andromache ferre incommitata solebat
Ad foceros, & auo puerum Astynacta trahebas.
Euado ad summi fastigia culminis, vnde
Tela manu miseri iactabant irrita Teucris.
Turrim in præcipiti stantem, summisq; sub astris
Eductam tectis, vnde omnis Troia videri,
Et Danaūm solita naues, & Achaica castra:
Aggressi ferro circum, quā summa labantē
Iuncturas tabulata dabant, conuellimus alitis
Sedibus, impulimusq; ea lapsa repente, ruinam
Cum sonitu trahit, & Danaūm super agmina late
Incidit. atq; alij subeunt : nec saxa, nec vllum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum, primoq; in limine Pyrrhus
Exultat, telis & luce coruscus abena.
Qualis vbi in lucem coluber, mala gramina pastum,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis nouis exuijs, nitidusq; iuuenta,
Lubrica conuoluit sublato pectore terga.
Ardus ad solem, & linguis micat ore trifidus.
Vna ingens Periphas, & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon: vna omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, & flammas ad culmina iactant.
Ipse inter primos, correpta dura bepenni
Limina perrumpit, postesq; à cardine vellit
Aeratos: iamq; excisa trabe, firma cauauit
Robora, & ingentem lato dedit ore fenestram.

M

Apparec

Apparet domus intus, & atria longa pateſcunt:
 Apparent Priami & veterum penetralia regum:
 Armatoſq; vident ſtantes in limine primo.
 At domus interior gemitu, miſeroq; tumultu
 Miſcetur: penitusq; caue plangoribus ades
 Fœmineſ ululant: ferit aurea ſidera clamor.
 Tum pauida teſtis matres ingentibus errant,
 Amplexaq; tenent poſtes, atq; oſcula figunt.
 Inſtat vi patria Pyrrhus: nec clauſtra, nec ipſi
 Cuſtodes ſufferre valent. labat ariete crebro
 Ianua, & emori procumbunt cardine poſtes.
 Fit via vi: rumpunt aditus, primoſq; trucidant
 Immiſi Danaï, & lætè loca milite complent.
 Non ſic, aggeribus ruptis cùm ſpumeus annis
 Exiit, oppoſitaſq; euicit iurgite moles,
 Fertur in arua ſurens cumulo, campoſq; per omnia
 Cum ſtabulis armenta trahit. vidi ipſe ſurentem
 Cede Neoptolemum, geminoſq; in limine Atridas:
 Vidi Hecubam, centiūq; nurus, Priamumq; per aram
 Sanguine ſordantem, quos ipſe ſacrauerat, ignes.
 Quinquaginta illi thalami, ſpes tanta nepotum,
 Barbarico poſtes auro, ſpolijsq; ſuperbi
 Procubuère. tenent Danaï, quæ deſicit ignis.
 Forſitan & Priami fuerint quæ ſata requiras.
 Urbis vbi capta caſum, conuulſaq; vidit
 Limina reſtorum, & medium in penetralibus hoſtium:
 Arma diu ſenior deſueta trementibus auro
 Circundat nequicquam humeris, & inutile ferrum
 Cingitur, ac denſos fertur moriturus in hoſtes.

Aedibus

Aedibus in medijs, nudoq; sub aetheris axe
 Ingens ara fuit, iuxtaq; veterrima laurus,
 Incumbens ara, atq; umbra complexa penates.
 Hic Hecuba, & nata nequicquam altaria circum,
 Præcipites atra ceu tempestate columba,
 Condensa, & diuini amplexa simulacra tenebant.
 Ipsum autem sumtis Priamum iuuenilibus armis
 Vt vidit, quæ mens tam dira, miserrime coniunx,
 Impulit his cingi telis? aut quò ruis? inquit.
 Non tali auxilio, nec defensoribus istis
 Tempus eger: non, si ipse meus nunc afforet Hector.
 Huc tandem concede, hac ara tuebitur omnis:
 Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
 Ad sese, & sacra longæuum in sede locauit.
 Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites,
 Vnus natorum Priami, per tela, per hostes
 Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat,
 Sauciis illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
 Insequitur: iam iamq; manu tenet, & premit hasta.
 Vt tandem ante oculos euasit & ora parentum,
 Concidit, ac multo vitam cum sanguine sudit.
 Hic Priamus, quanq; in media iam morte tenetur,
 Non tamen abstinuit, nec voci inaq; pepercit.
 At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
 Dii (si quæ est cælo pietas, quæ talia curet)
 Perfoluant grates dignas, & premia reddant
 Debita: qui nati coram me cernere lethum
 Fecisti, & patrios sedasti funere vultus.
 At non ille, satum quo te mentiris, Achilles,

Talis in hoste fuit Priamo : sed iura, fidemq;
 Supplicis erubuit, corpusq; exangue sepulcro
 Reddidit Hectorum, meq; in mea regna remisit
 Sic fatus senior, telumq; imbelles sine ictu
 Coniecit: rauco quod protinus ere repulsum,
 Et summo clypei nequicquam umbone pependit.
 Cui Pyrrhus : Referes ergo haec, & nuncius ibi
 Pelida genitor: illi mea tristitia facta,
 Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.
 Nunc morere. haec dicens, altaria ad ipsa tremen-
 Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati:
 Implicuitq; comam laeva, dextraq; coruscum
 Extulit, ac lateri capulo tenuis abdidit enses.
 Haec finis Priami fatorum: hic exitus illum
 Sorte tulit, Troiam incensam, & prolapsa videntem
 Pergama, tot quondam populi terruq; superbum
 Regnatorem Asia. iacet ingens litore truncus,
 Anulsumq; humeris caput, & sine nomine corpus.
 At me tum primum saevus circumstetit horror:
 Obstupui: subiit cari genitoris imago:
 Ut regem aequum crudeli vulnere vidi
 Vitam exhalantem: subiit deserta Creusa,
 Et direpta domus, & parui casus Iuli.
 Respicio: & quae sit me circum copia, lustrum.
 Deseruere omnes desesi, & corpora saltem
 Ad terram misere, aut ignibus agra dedere.
 Iamq; adeo super vnus eram, cum limina Vestae
 Seruantem, & tacitam secreta in sede latentem
 Tyndarida aspicio. dant clara incendia lucem

Erranti,

Erranti, passimq; oculos per cuncta ferenti.
 Illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros,
 Et pœnas Danaum, & deserti coniugis iras
 Permetuens, Troia & patria communis Erinny,
 Abdiderat sese, atq; aris inuisa sedebat.
 Exarsere ignes animo : subit ira, cadentem
 Vliſci patriam, & sceleratas sumere pœnas.
 Scilicet hæc Spartam incolumis, patriasq; Mycenæ
 Aspiciet ? partoq; ibit regina triumpho ?
 Coniugiumq; domumq; patres, natosq; videbit,
 Iliadum turba, & Phrygijs comitata ministris ?
 Occiderit ferro Priamus ? Troia arserit igni ?
 Dardanium toties sudarit sanguine litus ?
 Non ita. namq; etsi nullum memorabile nomen
 Fœminea in pœna est; nec habet victoria laudem:
 Extinxisse nefas tamen, & sumsisse merentis
 Laudabor pœnas: animumq; expleſſe iuuabit
 Vlticus flamma, & cineres satiasse meorum.
 Talia iactabam, & furiata mente ferebar,
 Cum mihi se, non antè oculis tam clara, videndam
 Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
 Alma parens, confessa deam : qualisq; videri
 Cœlicolis, & quanta solet : dextraq; prehensum
 Continuit, roseoq; hæc insuper addidit ore:
 Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
 Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
 Non prius aspicias, vbi fessum ætate parentem
 Liqueris Anchisen ? superet coniunxne Creusa,
 Ascaniusq; puer? quos omnes vndiq; Graia

Circum errant acies: & ni mea cura resisset,
 Iam flamma tulerint, inimicus & hauserit ensis.
 Non tibi Tyndaridis facies inuisa Latane,
 Culpatusue Paris: verum inclementia diuum
 Has euertit opes, sternitq; à culmine Troiam.
 Aspice (namq; omnem, qua nunc obducta tuenti
 Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
 Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis
 Iussa time, neu praeceptis parere recusa)
 Hic, vbi disiectas moles, auulsaq; saxa
 Saxa vides, mistoq; vndantem puluere sumum:
 Neptunus muros, magnosq; emota tridenti
 Fundamenta quatit, totamq; à sedibus urbem
 Eruit. hic Iuno Scæas seuissima portas
 Prima tenet, sociumq; furens à nauibus agmen
 Ferro accincta vocat.
 Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas
 Infedit, nimbo effulgens, & Gorgone seuæ.
 Ipse pater Danaïs animos, viresq; secundas
 Sufficit, ipse deos in Dardana suscitât arma.
 Eripe nate fugam, finemq; impone labori.
 Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.
 Dixerat, & spissis noctis se condidit vmbria.
 Apparent dira facies, inimicâq; Troia
 Numina magna deum.
 Tuus verò omne mihi visum considerare in ignem
 Illum, & ex imo verti Neptunia Troia.
 Ac veluti, summis antiquam in montibus ornum
 Cum ferro accisam, crebrisq; bipennibus instant

Eruunt

Eruiere agricola certatim: illa vsq; minatur;
 Et tremefacta comam concusso vertice nutat:
 Vulneribus donec paulatim euicta, supremum
 Congemuit, traxitq; iugis auulsa ruina.
 Descendo, ac ducente deo, flammam inter & hostes
 Expedior: dant tela locum, flammagq; recedunt.
 Ast ubi iam patria peruentum ad limina sedis,
 Antiquaq; domos: genitor (quem tollere in altos
 Optabam primum montes, primumq; petebam)
 Abnegat excisa vitam producere Troia,
 Exiliumq; pati. vos o, quibus integer aui
 Sanguis, ait, solidaq; suo stant robore vires,
 Vos agitate fugam.

Me si coelicola voluissent ducere vitam,
 Has mihi seruassent sedes. satis vna superq;
 Vidimus excidia, & capta superauimus vrbi.

Sic o, sic possum affati discedite corpus.
 Ipse manu mortem inueniam: miserebitur hostis.
 Exuviasq; petet. FACILIS iactura sepulcri est.
 Iampridem inuisus diuis, & inuisus annos
 Demoror: ex quo me diuum pater agq; hominu reges
 Fulminis afflauit ventis, & contigit igni.
 Talia perstabat memorans, fixusq; manebat.
 Nos contra effusi lacrymis, coniunxq; Creusa,
 Ascianusq; omnisq; domus: ne vertere secum
 Cuncta pater, fatusq; vrgenti incumbere vellet.
 Abnegat: inceptoq; & sedibus haeret in iisdem.
 Rursus in arma feror, mortemq; miserrimus opto.
 Nam quod consilium, aut quae iam fortuna dabatur?

M +

Méne

Mene efferre pedem genitor, te posse relicto
 Sperasti? tantumq; nefas patrio excidit ore?
 Si nihil ex tanta superis placet vrbe relinqui,
 Et sedet hoc animo, perituraq; addere Troia
 Teq; tuosque iuuat: patet isti ianua letho.
 Jamq; aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
 Datu ante ora patris, patre qui obruncat ad aras.
 Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignem
 Eripis? ut medijs hostem in penetralibus, utq;
 Aescaniamq; patremq; meum, iuxtaque Creusam,
 Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
 Arma, viri, ferte arma: vocat lux vltima victos.
 Reddite me Danais: finire instaurata reuisam
 Prælia: nunquam omnes hodie moriemur inulii.
 Sic ferro accincor rursus: clypeoq; sinistram
 Insertabam aptans, meq; extra tecta ferebam.
 Ecce autem, complexa pedes in limine coniunx
 Hærebat, paruumq; patri tendebat Iulum.
 Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum:
 Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
 Hanc primum tutare domum: cui paruius Iulus,
 Cui pater, & coniunx quondam tua dicta relinquor?
 Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat:
 Cum subitum dictuq; oritur mirabile monstrum.
 Namq; manus inter, mæstorumq; ora parentum,
 Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
 Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
 Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.
 Nos pauidi trepidare metu, crinemq; flagrantem

EXCU.

Excutere, & sanctos restinguere fontibus igneis.
 At pater Anchises oculos ad sidera latus
 Extulit, & cælo palmas cum voce terendit:
Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris vllia,
Aspice nos, hoc tantum: &, si pietate meremur,
Da deinde auxilium pater, atq; hæc omnia firma.
 Vix ea fatus erat senior, subitoq; fragore
 Intonuit laeum, & de cælo lapsa per umbras
 Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit.
 Illam, summa super labentem culmina recti,
 Cernimus Idea claram se condere sylua,
 Signantemq; vias: tum longo limite sulcus
 Dat lucem, & latè circum loca sulphure fumant.
 Hic verò victus genitor se tollit ad auras,
 Assaturq; deos, & sanctum sidus adorat. (assum.
 Iam iam nulla mora est: sequor, & quâ ducitis,
 Dij patrij seruate domum, seruate nepotem: / *Agamemnon*
 Vestrum hoc auguriū, vestroq; in numine Troia est.
 Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso.
 Dixerat ille: & iam per mœnia clarior ignis
 Auditur, propiusq; æstus incendia voluunt.
 Ergo age, cave pater, cervici imponere nostra: *exemplum*
 Ipse subito humeris: nec me labor iste grauabit: *patet periculum*
 Quo res cunctæ cadent, vñ & commune periculum. *patrem.*
 Vna salus ambobus erit, mihi parvus Iulus
 Sit comes, & longè seruet vestigia coniunx.
 Vos famuli, quæ dicam, animis aduertite vestris.
 Est vrbe egressus cumulus, templumq; vetustum
 Deserta Cereris, iuxtaq; antiqua cupressus,

Religione patrum multos seruata per annos.
 Hanc è diuerso sedem veniemus in vnam.
 Tu genitor cape sacra manu, patriosq; penates.
 Me, bello è tanto digressum & cade recenti,
 Attrectare nescis, donec me flumine viuo
 Abluero. *tenet as patrem sequitur*
 Hec fatus, latos humeros, subiectaq; colla *et huius*
 Veste super, fuluig; infernor pelle leonis: *humeric*
 Succedoq; oneri. dextra se paruius Iulus
 Implicuit, sequiturq; patrem non passibus aquis.
 Ponè subit coniuinx. ferimur per opaca locorum:
 Et me, quem dudum non vlla iniecta mouebant
 Tela, neg; aduerso glomerati ex agmine Graij:
 Nunc omnes terrent aura, sonus excitat omnis
 Suspensum, & pariter comitig; onerig; timentem.
 Lamq; propinquabam portis, omnemq; videbar
 Euasisse viam, subitò cùm creber ad aures
 Visus adesse pedum sonitus, genitorq; per vmbra
 Prospiciens, nate, exclamat. fuge nate. propinquant:
 Ardenteis clypeos atq; ara micantia cerno.
 Hic mihi nescio quod trepido malè numen amicum
 Confusam eripuit mentem, namq; auia cursu
 Dum sequor, & nota excedo regione viarum:
 Heu misero coniuinx satòne erepta Creusa
 Substitit, errabitne via, seu lassà resedit,
 Incertum: nec post oculis est reddita nostris,
 Nec prius amissam respexi, animuinq; reflexi,
 Quam tumulum antiqua Cereris, sedemq; sacratâ
 Venimus. hinc demum collectis omnibus vna

Desuit.

Defuit, & comites, natumq; virumq; fefellit.
 Quem non incusavi amens hominumq; deorumq;
 Aut quid in eversa vidi crudelius vrbe?
 Ascanium, Anchisenq; patrem, Teucrosq; penates
 Commendo socijs, & curua valle recondo.
 Ipse vr̄bem repeto, & cingor fulgentibus armis.
 Stat casus renouare omnes, omnemq; reuertit
 Per Troiam, & rursus caput obiectare periculis
 Principio muros, obscuraq; limina porta,
 Quā gressum extuleram, repeto: & vestigia retrō.
 Obseruata sequor per noctem, & lumine lustrō.
 Horror ubiq; animos, simul ipsa silentia terrent.
 Inda domum, si forte pedem, si forte tulisset,
 Me refero, irruerāt Danaī, & tectū omne tenebant.
 Illicet ignis edax summa ad fastigia vento
 Voluitur: exuperant flammæ: furit æstus ad auras.
 Procedo ad Priami sedes, arcemq; reuiso.
 Et iam porticibus vacuis, Iunonis asylo,
 Custodes lecti Phœnix, & dirus Vlysses,
 Pradam asseruabant: huc vndiq; Troia Gazæ.
 Incensis erepta adytis, mensaq; deorum,
 Cratereq; auro solidi, captiuag; vestis
 Congeritur: pueri, & pauida longo ordine matres
 Stant circum.
 Ausus quinetiam voces iactare per vmbra,
 Impleui clamore vias, mæstusq; Creusam
 Nequiquā ingeminans, iterumq; iterumq; vocavi.
 Quarenti, & tectis vr̄bis sine fine furenti,
 Infelix simulacrum, atq; ipsius vmbra Creusæ

Visa

Visa mihi ante oculos, & nota maior imago.
Obstupui: steteruntq; comae, & vox faucibus haesi.
 Tum sic affari, & curas his demere dictus:
Quid tantum insano iuuat indulgere lebori,
O dulces coniux? non hac sine numine diuū
Eueniunt, nec te hinc comitem asportare Creusam
Fas: haud ille finit superi regnator Olympi.
 Longa tibi exilia, & vastum maris aquor arandum.
 Ad terram Hesperiam venies, vbi Lydius, arua
 Inter opima virū, leni fluit agmine Tybris.
 Illic res leta, regnumq;, & regia coniunx
 Parta tibi, lacrymas dilecta pelle Creusa.
 Non ego Myrmidonum sedes Dolopūmūe superbas
 Aspiciam, aut Graijs seruitum matribus ibo,
 Dardanis, & diua Veneris nurus:
 Sed me magna deūm genitrix his detinet oris.
Iamq; vale, & nati serua communis amorem.
 Hac vbi dicta dedit lacrymantē, & multa volentem
 Dicere, deseruit, tenuesq; recessit in auras.
 Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
 Ter frustra comprehensa manus effugit imago,
 Par leuibus ventis, volucrig; similima somno.
 Sic demum socios consumpta nocte reuiso.
 Atq; hic ingentem comitum affluxisse nouorum
 Inuenio admirans numerum: matresq;, virosq;
 Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.
 Vndiq; conuenēre, animus opibusq; parati,
 In quascunq; velim pelago deducere terras.

Iamq;

Iamq³ iugis summa surgebat Lucifer Ida,
Ducebatq³ diem : Danaiq³ obsessa tenebant
Limina portarum : nec spes opis vlla dabatur.
Cessi, & sublato montem genitore petiui.



